INFORMATIO BREVIS,

CUR

SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI,

MILITIS INTROMISSIONEM,

CIVITAS ELBINGENSIS

Anno M DC XCVIII evitare non potuerit.

ANNO M DCC.



QVandoqvidem multi illorum, qvi de calamitate alienâ gaudent, amplum ſibi pandunt Theatrum, ut variis contra humanitatis, æqvitatis, ac veritatis rationem fictis opinionibus malè de Civitate Elbingenſi ſentiant, aliosqve ad malè de eâ ſentiendum inducant, ac ſi Juramenti Sereniſſimo ac Potentiſſimo Regi Poloniarum præſtiti, fidelitatis, inviolatæqve in ſeram Poſteritatem propagandæ famæ oblita, ſinè ullo Neceſſitatis dictamine, Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Militem intra mœnia intromittere præſumpſerit: Viſum eſt, pro Deductione Innocentiæ, ea qvæ nuda Veritas ac rerum geſtarum Ordo dictitat, brevibus exponere, ut ex iis, omnes qvorum intereſt, intelligant, qvam immerito odio ſcindatur, qvamqve innocenter in diſcrimen honoris vocetur Civitas. Nam ſinè ſonticâ Cauſa alienum Militem intra Valla ſuſcipere, qvid aliud foret, qvam faſtidio præſentium, ſpes novas meditari? qvod de Civitate Elbingenſi qvi dixerit, vix effugiet illiûs Judicis nomen, qvi paſſionibus corruptus in Cauſâ fert ſententiam. Sic enim exiſtimandum eſt, Magiſtratum ac Cives rei magnitudinem intellexiſſe, anxiâ mente intra intima viſcera Juramenti Sanctimoniam volviſſe, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Poloniarum Domini ſui Clementiſſimi benigniſſimum Sceptrum penſitâſſe, omniaqve illa, qvæ humanâ providentiâ in illo duro, præcipiti, improviſoqve rerum diſcrimine capere poterât, bene trutinâſſe, niſi tandem in extremo Neceſſitatis ſtatu, cum non amplius

cum hominibus, ſed cum crudeli ignis elemento, ſibi in mediâ pace pugnandum fore videret, fatali temporum imperio, ad tempus cedere coacta fuiſſet. Hæc cùm ita ſint, promittit ſibi benigniora Judicia Civitas, imprimis ab iis, qvi rem non tantum ab hodierno die metiuntur, ſed etiam ea, qvæ antè qvatuor Annorum decades acta ſunt, ac neceſſitatæ intromiſſioni Brandenburgici Militis dedere occaſionem, æqvâ animi lance perpenderit.

Eſt itaqve Origo, fons ac ſcaturigo, fatalis hujus periodi, omnisqve mali illud temporis punctum, qvo Sereniſſimo Electori Brandenburgico FRIEDERICO WILHELMO p. m. mediantibus Pactis Bydgoſtien: die 6 Novembris Anno 1657. Civitas in hypothecam conceſſa eſt.

Sanè nullum gravius vulnus tunc temporis infligi poterat Civitati nihil tale ſperanti, qvæ æternam ac immortalem connexionem cum Totâ Sereniſſimâ Republ. habere debebat, qvamdiù vigeret Reipublicæ ſpiritus. Nec magis letale vulnus, violentis manibus ſibi ipſi inferre poterat Sereniſſima Reſpublica, qvam abſcindendo Corporis ſui partem integrantem, ac ita pectus inclytæ Provinciæ aperiendo, per qvod ad ipſum Cor ſucceſſivè pateret aditus?

Nihil minus metuebat illô tempore Civitas, qvàm qvod tali modô à Corpore Reipublicæ deberet avelli, confiſa verbis: (ex qvibus æternam cum Republ. connexionem ſibi ſpondebat:) Privilegii Incorporationis D. CASIMIRI Regis de An. 1454. qvorum tenor hic eſt:

Ad

Ad honorem Omnipotentis Dei - præfatorum, Prælatorum, spiritualium & secularium &c. Militarium, Civium, Terrigenarum, & omnium Incolarum Terrarum Prussiæ -- benevolam & spontaneam deditionem, regimen, Tutelam, Gubernationem, subjectionem, Obedientiam accepimus, assumpsimus, tenoreqve præsentium, non per errorem, aut improvidè, sed de certâ nostrâ scientiâ ac voluntate, in Dei nomine assumimus & acceptamus, Terrasqve & Dominia prædicta Regno Poloniæ redintegramus, reunimus, invisceramus & incorporamus -- promittentes pro Nobis, Hæredibus & Successoribus Nostris ac universo Regno Poloniæ, qvod prædictas Terras ac Dominia atqve Prælatos Spirituales, & Seculares, Barones, Militares, Nobiles, Cives, Oppidanos, & cujuscunqve Conditionis, Statûs, & præeminentiæ homines existant, contra qvascunqve Adversitates, Impugnationes qvorumcunqve hominum, illis præstabimus velut fidelibus & subditis Nostris, Regalem assistentiam atqve defensam. Nec illos aut Terras prædictas à Corpore & integritate Regni Nostri Poloniæ alienari, seqvestrari, scindi patiemur. Qvæ omnia in reciprocâ sponsione Ordinum Terrarum Prussiæ repetita leguntur.

Ex qvibus satis clarè patet, qvàm indebitè non tantùm contra Civitatis Elbingensis, (ut qvæ cum cæteris Constatibus Terrarum Prussiæ spontaneâ accessione ad Regnum venit:) sed maximè contra Jura Terrarum Prussiæ Cardinalia, hypothecariô vinculô innodata sit, inprimis cum oppignorationes sint species alienationis, qvia sæpissimè nihil facilius naturam suam mutat, qvàm hypotheca. Hinc illa fatorum, qvæ Civitatem Elbingensem afflixit, & affligit inclementia. Non tamèn vult Civitas pluribus movere hoc argumentum Toti Reipublicæ omnibusqve incorporatis Provinciis notum: hoc solum fatetur, qvod maluerit ex innato eoqvè debito erga Rempubl. Provinciamqve amore, sub hypothecâ fortunam suam ad tempus lugere, qvàm ut Serenissima Respublica olim de sua desperaret,

 mo-

modo in tempore Eliberatio facta fuiſſet. Qvicqvid tamèn ſit, fluxit ex hoc hypothecario Jure omnis illa calamitas, cujûs ut olìm peteretur caſſatio, qvod etiam factum eſt, ſtetit penes Civitatem; ut verò Caſſatio realis obtineretur, unicè in Serenisſimæ Reipubl. poteſtate fuit ſitum. Qvod, cùm neſcitur, qvâ injuriâ temporis neglectum ſit, ideò licitum putavit Serenisſimus Eléctor vi aggredi Civitatem, cujûs hypothecaria poſſesſio denegabatur.

Series autem rerum hæc eſt. Die 13. Menſis Octobris, cùm inter tranqvilla Pacis tota Provincia, nullam prævideret aut metueret hoſtilitatem, circà mediam noctem ex Oppido Hollandino Miles Brandenburgicus, ſub Ductu Magnifici Dn. Generalis Locum tenentis de Brandt, Civitatem verſus, tacitô, veloci tamèn paſſu properabat, eâ intentione, ut per occultos auſus, circà primum diluculum, portam aliqvam occuparet, ac ita in ſub urbiis, ac alibi jam latitanti Militi, ad ipſa Civitatis mœnia aperiretur aditus. Etenim circa mediam noctem, à Decurione qvodam, Militem Brandenburgicum Civitatem versùs tendere, ad Præſidem Civitatis deferebatur; qvi ſinè ullâ morâ cum Commiſſario Bellico ac præſidiarii Militis Præfecto, Valla aſcendebat, & per plures Stationes collocato auctôqve Milite, omne illud agebat, ut ſecura eſſet Civitas, ac hoſtiles inſidiæ evitarentur. Interim circa primum diluculum nonnulli Officiales Brandenburgici in Civitate pernoctantes, per Miniſtros ſuos à Præſide, non ſinè ſuſpicione aliqvâ, petebant, velit concedere, qvô Civitatis portæ ſolitò citiùs aperirentur, ut ita iter

ſu-

ſuum, cum periculum ſit in morâ, eò expeditiùs abſolvere poſſint. Qvorum cum fruſtraretur expectatio, vidensq; Illuſtris Dn. Generalis de Brandt, contra morem Pontes penſiles non demitti, nec Portas Civitatis aperiri, Tympaniſtam ad exteriora Valli demandabat, cum petito, ut ſibi concederetur cum Præſide & nonnullis è Civium numero extra Civitatem colloqvi. Qvod petitum cùm â Præſide coram toto Magiſtratu expoſitum eſſet, expediebatur Secretarius ad Dn. Generalem, ut audiret ac referret ejûs deſideria. Cùm ergò modò dictæ intentioni firmiter inhæreret, reſpondebatur: condeſcenſurum in hoc Civitatis Magiſtratum ut Dn. Gener. miſſis in Civitatem Obſidibus, coràm duobus Deputatis è Magiſtratu, & duobus ex Communitate, in horto qvodam non procul à Civitate ſito, explicaret animi ſui ſenſus. In qvod cum utraqve pars concederet, talia in Loco deſtinato coràm Deputatis proponebat: habere ſe à Sereniſſimo Electore in mandatis, ut Civitatis Elbingenſis tanqvàm hypothecæ à qvadraginta jam annis debitæ, caperet poſſeſſionem, eamqvè milite ſuo muniret, tamdiù, donec à Sereniſſimâ Republicà totalis ſummæ facta fuerit exſolutio. Eqvidem petiiſſe Sereniſſimum Electorem ſæpiùs ſatisfactionem, ſed in hunc usqve diem nihil obtinere potuiſſe; ſi Civitas juſtiſſimæ huic expoſtulationi ſinè mora daret locum, nihil æqve curaturum Sereniſſimum Electorem, qvàm ut circa Privilegia, Jura & Immunitates ſalva conſervaretur, ſin minùs, fore, ut cum validiori Exercitu aliisqve Inſtrumentis bellicis, ex Pillaviâ ac aliundè tranſportandis,

possessio extorqvenda veniret. Adqvæ, habitô in Magistratu Consiliô, ab iisdem Deputatis respondebatur: Non posse Civitatem in tàm gravi materiâ qvidqvam decernere; post ponendas esse hujusmodi sollicitationes Juramento fidelitatis non ita pridem Serenissimo Regi Poloniarum præstito, adeoqvè sine consensu Ejûs frustra peti hypothecariam possessionem; Unicum Civitatis in obtinendâ dilatione esse remedium, qvam Dn. Generalis concedere haud gravaretur, usqve dùm, tam ad Serenissimum Regem pro Eliberatione, aut aliâ medelâ, qvam ad Serenissimum Electorem pro avertenda hostilitate expeditæ, ac iterùm receptæ essent literæ. Non enim sperare Civitatem, se à Serenissimò Electore mediis violentis ad id addactum iri, qvod contra Conscientiæ, fidelitatisqve militaret rationem. Ad hæc regerebat Dn. Generalis: Non esse in potestate suâ ullas concedere dilationes, esse sibi satisfaciendum voluntati Serenissimi Electoris, Executione militari, frustrâ obtendi conscientiæ læsionem ac perjurii metum, qvandoqvidem novo Juramenti vinculò Civitas non deberet stringi cum Serenissimus Elector non directam sed hypothecariam saltèm intenderet possessionem. Eqvidem se velle ad triduum Milite suo revertere versùs Hollandinum, intereà autem nihilominùs curaturum, ut omne illud perficiatur, qvod ad hostiliter aggrediendam Urbem foret necessarium, ne de denegata hypothecæ occupatione ampliùs glorietur obstinata contumacia. Intereà in eâ nocte ad Serenissimum Regem Poloniarum, ac Serenissimum Electorem Brandeburgicum cum

cum Literis mittebantur Secretarii: Alter, ut justissimas de intentione Serenissimi Electoris moveret qverelas, exoraretqve protectionem; alter ut hostilia deprecaretur, donec à Serenissimo Rege Poloniarum obtineret Civitas clementissimam declarationem.

Interim augebatur qvantum fieri poterat, numero Miles præsidiarius, famuliqve Opificum ad capienda arma promisso stipendiô cogebantur, ac publicis mandatis in Civitatem vocabantur servi rusticorum, Exploratores emittebantur, aliaqve omnia, qvæ temporis ac statûs tùm præsentis conditio efflagitabat, perficiebantur.

Hoc dùm agitur, pluribus, Berolinô redux Secretarius, referebat Serenissimi Electoris de habenda possessione Civitatis, immutabilem nullisqve precibus aut rationibus flectendam voluntatem, tradebanturq; Civitati à Serenissimo Electore Brandenburgico Literæ, qvibus hypothecaria possessio non sinè gravi comminatione & variorum periculorum ruinæqve denunciatione expostulabatur, cum adjunctâ coram Deo ac toto Orbe contestatione, Serenissimum Electorem, si in casum resistentiæ, tristia ac atrocia qvævis subiret Civitas, qvibus & Cor Electorale afficeretur, non fore inculpandum.

Die 31. Octobris cum copiosiori perqve suburbia sparso Milite, iterùm Civitas cingebatur ac hostilia qvævis pro cogendâ eâ parabantur. Ideò conveniebatur per Deputatos ex utroq; Ordine, Dn. Generalis

de Brandt, cum petito, ut Militem suum extra Territorii Elbingensis fines educeret, qvandoqvidem nec à Serenissimo Rege Poloniarum Dn. suo Clementissimo, nec ad reiteratas ad Serenissimum Electorem Literas, tulisset responsum Civitas, sin secus vim vi repulsum iri. Regerebat ad hæc Dn. Generalis: sibi severis mandatis à Serenissimo Electore iterùm injunctum, qvandoqvidem primâ vice, spe potiundæ Urbis excidisset, ut nunc manu armatâ, ac cum ruinâ, Civitatem impeteret, intromissionemqve urgeret, nec enim amplius Serenissimum Electorem hypothecâ suâ carere velle, aut posse.

Die 3. Novembris, tempore matutino, Convocabantur in Prætorium Seniores Tribuum ac Contuberniorum Jurati, qvos communicatis prius Serenissimi Electoris Brandenburgici Literis illis Comminatoriis, nomine Magistratus fidelitatis ac Juramenti, Sacræ Regiæ Majestati Poloniarum non ita pridem præstiti admonebat Præses Civitatis, insimulqve urgebat, obfirmarent erga hostilia qvævis animos, hâc certâ spe freti, adfuturum opportunô tempore, succursum. Nuntiarent hæc Confratribus suis, ac post meridiem circa horam secundam coràm Magistratu, qvid qvivis eorum declarâsset, referrent. Itaqve circa horam determinatam reversi, nomine suorum Confratrum plurimi unô nuntiabant ore; paratos se esse extrema sustinere, modò de conceptâ spe mox adventuri succursùs, non exciderent. Interim cùm circa noctem prædicti diei, Miles Brandenburgicus fossam transire, nec non, die 4. Novembris, circa meridiem, alteram fluminis Elbingæ ripam, occupare intenderet, explosis tormentis bombardisqve repulsus est.

Frustrà itaqve repetitâ pro dilatione obtinendâ Instantiâ, remonstrabatur Dn. Generali, unicum ac firmum Civitatis esse refugium in legitimâ sui defensione, adhibituramqve Civitatem ea remedia, qvibus pari violentiâ, vi intentatæ occurreretur; Minùs æqvas esse cum ruinâ Civitatis, denuntiatas minas, easqve sinè Juris Gentium læsione sineqve præcedente Monitione & Manifestatione bellicâ, stante inter Serenissimam Rempubl. ac Serenissimum Electorem amicitiâ, confœderationeqve, in effectum deduci non posse; Æqvissimas è contra esse Civitatis petitiones pro impetrandâ dilatione, cum sine S[ctæ] R[giæ] Maj[tis] consensu, contra Juramenti Sacramentum, frustra peteretur, qvod petitur, neqve exindè ullo modo Sere-

Sereniſſimi Electoris prætenſioni, qvidqvam derogari. Iterùm ad hæc Dn. Generalis: Non ampliùs eſſe in ſuâ poteſtate, vel latum ungvem diſcedere à præſcripto Mandato, multò minùs cunctandum ſibi eſſe, donec Literæ Regiæ receptæ eſſent, condeſcenſurum eqvidem, adhuc in dilationem, usqve 6. Novembris, attamen cum præcuſtoditione, ſe ſpatium ulterius non conceſſurum, ſivè intereà à Sereniſſimo Rege Poloniarum Civitas reciperet Literas, ſive non, ſiqvidem hæc ad ſe non pertinerent. Qvô ſpatiô præterlapsò, cum nondum a Sereniſſimo Rege, Civitas accepiſſet Literas, nova petebatur dilatio qvæ ad 12. Novembris prorogabatur.

Interim ex Pillaviâ, Colbergâ, Regiomonto, Memelo, ac aliundè, Mortaria, Tormentâ, Ollæ igniariæ miſſiles, vulgò Bomben, Pyrius pulvis, ac aliæ plurimæ Machinæ bellicæ, in majori copiâ advehebantur, ſuggeſtusqve erigebantur, unicè, ut in caſum reſiſtentiæ, tota, aut ſaltem maxima Civitatis pars, incendio deleretur, ac durante incendiò, a prædæ cupido Milite, facto tranſcurſu, diriperetur. Dum hæc fiunt, nec à Civitate prohiberi poſſent, cùm ob paucitatem Militis præſidiarii, Excurſiones inire non eſſet ſecurum, ac exploſione Tormentorum bombardarumqve ob obſtantia in ſuburbiis ædificia, ægrè erectiò ſuggeſtuum multò minùs exportatio Tormentorum è navigiis, impediretur, ſecundum nutum ac vota, qvicqvid pro violentâ intromiſſione impetrandâ videbatur neceſſarium, hoſtilis Miles erigebat, donec die 9. Novembris, die Dominicâ, circa Devotionem veſpertinam, antè expiratum dilationis Terminum, Dn. Generalis, coràm Deputatis ad ſe, datis Obſidibus, accerſitis, categoricè exponeret: eqvidem Dilationem ad 12. Novembris Civitati ſe conceſſiſſe, verùm à Sereniſſimo Electore, per duos Curſores, ſeverioribus exhibitis mandatis, ſub rigore Inclementiæ Electoralis admonitum eſſe, ne amplius cunctaretur hoſtili vi, cum Lenitas nihil proficeret, aggredi Civitatem. Iterùm petitâ ad præfixum Terminum usqve, à Deputatis dilatione, reſpondebatur à Dn. Generali: fruſtrà eam deſiderari, ſiqvidem capitis periculo, ulterior conceſſa dilatio, redimenda foret, nec amplius vanas de injiciendis in Civitatem ignibus, cum omnia jam forent parata, eſſe minas, immutabilem Serenisſimi Electoris ſtare voluntatem, Incendiò ac ruinâ ſi aliter fieri non poſſet, occupare Civitatem, (id qvod etiam in Literis ad S^cram^ Cæs^ream^ Maj^tem^ à Sereniſſimo Electore d. 14. Novembris datis, diſertis his

 ver-

verbis: desisteret ab ulteriori impetitione (attaqviren) atq; Ollarum ignearum injectione (bombardiren) aliisqve hostilitatibus Gen. de Brandt, expressum legitur,) nec amplius credendum esse, rem in vanum tractari, sed, si verba hæc sua abluderent à verò, aut cum mente suâ non convenirent, ejurare se, non tantum Sanctum Christiani Nomen, sed etiam (horrendum dictu) beatificâ in Regno Gloriæ, Visione DEI, in æternùm fore privandum. Itaqve non sine summâ difficultate, imprimis cùm omnia ad expugnandam Urbem parata essent, (siqvidem qvadraginta & octo Tormenta bellica, qvorum ultrà viginti, erant majorum Tormentorum Qvadrantes, & duodecim magna Mortaria, inter qvæ duo, ducentorum & viginti pondo reperiebantur, Civitatem versùs, pro injiciendo igne, directa, ac aliqvot millia Saccorum arenâ repletorum, virgultorumqve fascium ultra sedecim millia, fossis transeundis, disposita erant, aliqvotqve centum globi in fornacibus jam candebant, milesqve ad adoriendam Civitatem instructus, in procinctu stabat) obtentâ in crastinum diem, nempe decimâ Novembris, ultimâ dilatione, circa septimam matutinam nomine Magistratus, omnium Civium in Vallis consistentium per Secretarios, ratione defendendæ Urbis, explorabantur animi; à qvibus unanimi ferè, voce ac lingvâ responsum conclusumqve est. Qvandoqvidem de obtinendo succursu omnis evanescere, spes, ac frustra præsumeretur Victoriæ eventus, satius videri, Serenissimo ac Potentissimo REGI Poloniarum, Domino Domino Nostro Clementissimo, Serenissimæ Reipublicæ, ac toti Provinciæ, mediantibus Articulis, sartam salvamqve servare Civitatem, qvam in ruderibus per longam annorum seriem, tristia dolere fata.

Qvomodò in maximis hisce periculis, ac gravissimo acerbissimoqve casu, cùm Templa ac tecta qvilibet Civis non ampliùs Patriam suam, sed prædam flammarum futura prævideret, aliter consulendum erat? Qvodnam solatium ex direptione, vastatione, cineribusqve sperandum erat? Nonne in omnibus ferè gentibus vox ista naturæ personuit, ut malint ad tempus furori cedere, qvàm bellicâ omnifariâ vastatione deleri? Magnum sanè est, fuit, ac semper erit, extrema Necessitas, cuivis indefenso patrocinium. At verò indefensam fuisse in fatali illo Termino, Civitatem Elbingensem, norunt omnes, viderunt Vicini. Etenim primum Civitatis, post Ter Max. DEUM, tanqvam ad Anchoram Sacram, perfugium erat, ad Serenissi-

nissimum ac Potentissimum REGEM Poloniarum Dn. Dn. Suum Clemtissimum, in Cujùs Potentissimo Brachio, omnis Spes, omnisqve salus collocabatur. Nec desperandum fuisset de Paterna fortiqve Protectione, modo Serenissimo REGI in Expeditione bellicà adversùs Turcas, in Confiniis Serenissimæ Reipubl. commoranti, citiùs tradi potuissent Civitatis Literæ. Deindè ad Cels^{mum} ac Emin^{mum} Dn. Cardinalem ac Primatem Regni, ac plurimos Illustr^{mos} ac Excell^{mos} Dn. Dn. Senatores expediebantur Literæ, qvibus tristissima Civitatis sors, cum annexo petito, de maturando Auxilio ac Consilio, pluribus exponebatur. Mox per Secretarium in Congressu Graudentinensi Extraordinario, sibi soli relicta ac indefensa, expetebat Succursum Civitas, cum observantissimâ demonstratione, ni festinaret in Auxilium Inclyta Provincia obsessis, eventurum, extremâ necessitate sic jubente, ut dùm deliberatur Romæ, capiatur Saguntus. Verum residebat in illo Conventu, omnis in eo deliberatio, non posse ab Inclytâ Provincia qvidqvam decerni, qvamdiu super hac materia, à S^{cra} R^{gia} Maj^{te} Provincia non tulisset responsum, defenderet intereà se ipsam, etiam ad ruinam usqve Civitas. Maximum etiam solatium obsessis accedere potuisset, ex uniùs saltem Dn. Senatoris in Civitate præsentià, qvi desperatis rebus proposuisset vel auxilium vel consilium. Reqvisitæ qvoqve sunt in Viciniâ, ex Jure Vicinitatis ac amicitiæ, suppetiæ; sed nullæ obtineri potuerunt, exqvà causa aut ratione, non tàm Civitati Elbingensis qvàm aliis constabit. Ut adeò Obsidionis tempore, Civitas, velut naufraga, hùc & illùc expansis hic & illic manibus, auxilium imploraverit, sed nullum obtinuerit.

Qvin etiam sufficiente Præsidiario Milite, ac Cive, illo Impetitionis tempore, cum de sago, sub Pacis clypeo, nullus totiùs Inclytæ Provinciæ, Incola, cogitaret, Civitatem caruisse, qvilibet fatebitur, cui vallorum Linearumqve, circa utramqve Civitatem earumqve Suburbia, Extensiones notæ sunt, insimulqve calculum de pauco tùnc temporis in Civitate existente, Cive ac Milite per Stationes hinc indè collocandis, formaverit. Imprimis si qvis consideret multitudinem Viduarum, qvæ vel Operarios, vel Famulos, vel Servos, homines ad sustinendum impetum hostilem indomitos, militiæqve rudes in Excubias mittebant. Vel etiam attendat ad Suburbiorum Incolas, vilioris fortunæ plebem, ac hoc anno hic, alio alibi

pro acqvirendo victu, domicilium figentem, qvæ nec hostilia audere, nec sustinere valebat. Licet verò paucus exercitatus Civis cum Milite præsidiario, omnes intenderit pro Defensione vires, multi tamèn illorum in Vallis ac stationibus suis continuas, (nec enim ob defectum, qvi vices eorum subirent, domum dimitti poterant) inter imbres ac nives, per qvatuor usqve Septimanas, sub dio agentes excubias, variis affecti morbis, lecto affigebantur. Undè factum qvod calamitosa Civitas ferè de die in diem in Præsidio, qvod tamèn per omnes horas ac momenta, augendum erat, minueretur, qvodqve nullæ contra hostem tentari potuerint Excursiones, imò tandem benè defatigati ac enervati Cives ac Milites, ad defendendum redderentur inhabiles. Accedebat gelida tempestas, qvæ tempore Obsidionis fossas adeò densâ glacie stringebat, ut ferè miles tutò per eam transire potuerit. Decidant rebus sic stantibus, pro Civitate Jura militaria, omnesqve illi qvi de Jure ac Officiis bellicis scripsère volumina. Decidunt autem sic: *Præfectum Arcis fortè malè munitæ, omni ope humanâ & subsidiô destitutum, qviqve vim hostium ferre non potest, posse Pacto vel qvocunqve modô, sibi & præsidio consulere, præsertim cum omnibus ne qvicqvàm tentatis, arcem æqve in potestatem hostium venturam fuisse, constet, non enim est expectandum id, cujùs eventus nihil operari potest. Qvacunqve itaqve ratione omninò saluti Reipubl. & Patriæ consulendum erit sive deditione, sive morte, si opus sit. Vir enim fortis nihil suâ, omnia pro communi utilitate facere debet. Qvare non tenebitur Arcis Præfectus, se Præsidiumqve indubitatæ Morti objicere, qvâ non tam Rempubl. servat, qvàm prodit.*

An autem Serenissimus Elector Brandenburgicus habuerit justam hypothecariam possessionem, expostulandi causam, an secus? An modus Expostulationis fuerit justus, nec ne; An qvod justum esse videbatur in Termino, justum etiam manserit in Executione? non putat ad Judicium suum pertinere Civitas; Judicabunt de hoc illi, qvorum conscientiis etiàm ea nota sunt, qvæ antè qvadraginta annos inter Serenissimam Rempubl. ac Serenissimum Electorem FRIEDERICUM WILHELMUM p. m. mediantibus Pactis Bydgostiensis: gesta sunt. De hoc saltem dolet afflicta Civitas, qvod olim contra Privilegium Incorporationis, contraqve Terrarum Prussiæ Cardinalia Jura, sinè ullo suo consensu aut culpâ, in hypothecam data ac etiam tradita sit. Undè fluere solent Rerumpubl. Provinciarumq; periculosæ

Ex-

Exoſſationes, ac ex his, acuti fatalesqve Paroxyſmi. Dolet etiam, qvod contra ſocialis naturæ rationem cum Sui Jacturâ, toti Corpori conſulere debuerit, qvia ſecundum Societatis Civilis leges, juſtius habetur, cum omnium impensâ redimere malum, qvod olim omnes affligebat. Imò dolet, qvod cùm nihil magis naturali rationi congruere videatur, qvàm eos, qvi in unum corpus coëunt, (prouti Civitas per ſpontaneam acceſſionem ad Rempubl. pervenit,) perpetuam ac immortalem Societatem contrahere, ac ita uno eodemqve Spiritu regi velle, nec ſine conſenſu ſuo alterius Regimini ſubjici poſſe, nihilominùs in hypothecam conceſſa ſit.

Fecit eqvidem Civitas pro Eliberatione, humillimas Inſtantias ſæpiùs, ac per plurimos annos, ibi, ubi è re & tempore fuit, videlicet in Conventibus Terrarum Pruſſiæ Generalibus, in Comitiis Regni, circa Actus homagiorum, ſed vel temporum injuriâ, vel aliis ex rationibus haud exaudita eſt.

An ergò Civitas Elbingenſis, ſinè ſuo conſenſu ac cùlpâ in hypothecam potuerit Sereniſſimo Electori, dari, ardua Qvæſtio eſt? vix tamèn ventilanda, qvia facta infecta fieri neqveunt. An etiam Civitas cum conſenſu Reipubl. in hypothecam primùm data, poſteà etiam ab Eadem tradita, violento modo in hypothecam petitæ Intromiſſioni, debuerit cum ruinâ ſua reſiſtere, cum viribus ad reſiſtendum longè fuerit impar, æqve arduum Problema eſt, pro cujûs deductione artificioſam qvandam Deciſiônem ac defenſionem meditari, vix opus eſt, cùm conſtet ex ſuperioribus, Civitatem, neceſſitatam illam Intromiſſionem Militis Brandenburgici, nec evitare, nec ſuperare potuiſſe.

Hoc tamèn probè penſitavit Civitas, & æqvisſimo omnium Judicio trutinandum ſubmittit; An non (1) ſi vanis viribus, ad ruinam usqve vi hoſtili reſtitiſſet, ex hâc ruinâ, futuro tempore, infinitæ inter Sereniſſimam Rempublicam ac Sereniſſimum Electorem pullulaſſent difficultates, ac ex his, reciproco calculo, immortales Qverelæ Prætenſionesvè? An non (2) vetendum fuerit, ne hac ratione, mutatà hypothecæ naturâ, Civitas non amplius Jure hypothecario, ſed Jure Armorum, cum maximo libertatis atqve Privilegiorum Suorum detrimento à Sereniſſimo

 Ele-

Electore, veniſſet poſſidenda? An non (3) ſi in ſummam Calamitatem redacta fuiſſet innocens Civitas, utpotè qvæ in cineribus ac ruderibus poſt breves horas, ſe ipſam qvæſiviſſet, non autem inveniſſet, nihilominùs (ad reſiſtendum haud ſufficiens) ulceroſa licet ac cadaveroſa, in manus Victoris incidiſſet? Imò, qvid reliqvum manſiſſet Civitati, omnibusqve ejus Incolis niſi longa calamitas? qvid Sereniſſimo REGI Dn. Dn. Suo Clementisſimo Sereniſſimæqve Reipubl. qvám Cadaver Civitatis?

Qvamobrem, cùm ex his breviſſimè adductis, liqvidò conſtet, Civitatem nec viribus ſuis haud ſufficientibus ac undiqve acciſis, tempore Impetitionis niti, nec etiam de Auxilio aut Conſilio externo aliqvam concipere ſpem potuiſſe, ideò non deſperat de æqviſſimo apud bonos omnes Judicio, multò minus Perfidiæ aut Proditionis, de Jure inculpanda erit. Interea humillimis ardentibusqve precibus Summo Numini ſupplicat, ut tandem aliqvando ab onere hypothecæ enodata priſtino ſtatui reſtituatur, qvò ſub Potentiſſimo ac Clementiſſimo S^cræ R^giæ Maj^tis Poloniarum, Dn. Dn. Sui Clementiſſimi SCEPTRO, Sereniſſimæqve Reipubl. AQVILA in ſeram usqve poſteritatem felix, ac ſalva perduret.

